Szyszkowski Martinus
Episcopus Cracoviensis

Certamen Pultoviae cum Cracovia
de Illmo et Rmo D. D. Martino
Szyszkowski, Episcopo Cracoviensi.
Cracoviae 1616.

CERTAMEN PVŁTOVIÆ CVM CRACOVIA DE

Illustrissmo & Reuerendissmo Dño,

D. MARTINO SZYSZKOWSKI DEI ET

Apostolicæ sedis Gratia

EPISCOPO CRACOVIEN:

DVCE SEVERIEN:

Compositum.

PER ARBITRVM APOLLINEM atque illius Celsitudinis æterno Nomini à Nobili studiosa iuuentute in Almo Gymnasio Pułtouien: Patrum Societatis IESV oblatum.


Anno Salutis Humanæ

SIsÇoVII LVnIs ÇLaresÇãt MœnIa ÇraÇI.

1616

CRACOVIÆ, Ex Officina Typ: Francisci Cesarij.

Illustrissimus ac Reuerēdissimus Dominus D. MARTINVS SZYSZKOWSKI Dei Gratia Episcopus Cracouiensis, Dux Seueriensis.



SISCOVIÆ insolito resplendent lumine Lunæ;
CRVX media ac si sol, aurea tota micat:
Jllustres Lunæ fuerant, illustris & ipse:
Splendida Crux per se est, hic nouus vnde nitor?
Sarmatici solii Sol dat noua lumina Lunis;
Dat iubar Europæ lumina sacra Cruci.
Luna solum Patriæ, solium Crux alma serenat;
Pro meritis debent lumen habere nouum.

ANDREAS KRASINSKI.

OMEN MVNIMINIS.

VRBS populosa CRACI, propior cui Turcica Luna,
Barbaricæ Lunæ nil vereare luem:
Illa est instabilis, cunctas variatur in horas:
Huîc sol æthereus lumina vera negat.
Defendunt geminæ falces tua mœnia Lunæ:
In medio quarum fulget imago Crucis:
Hostili LVNÆ opponas si hæc cornua Lunæ;
Vincere vel solas non valet vna duas.
Adde CRVCEM. fugiet Stygiæ impia Luna phalangis.
Vinci non poteris; vincere sola potes.

PAVLVS VCHANSKI.

LVNAS AVFERO NON LVMEN.

VIRTVS in medio, medium aiunt esse beatum:
Lunarum in medio, CRVX benedicta, micas.
Exere virtutem: miseram me facq; beatam:
(Pultopolis dabat hæc tristia verba Cruci)
Lumine ne spolier, Lunam mihi linque vel vnam:
CRACOVIÆ vna sit, ast altera Luna mihi.
CRVX; totum vt maneat pars debet nulla deesse.
Ex Lunis lucem num superesse parum?

IEREMIAS DEMBINSKI.

VERE
NOBILE STEMMA.

EFFIGIEM Lunæ gestabat nobilis Arcas:
Romanos equites Lunula parua notat.
SISCOVIÆ gentis geminas en aspice Lunas.
Romanos domus hæc nobilitate præit,
Arcades antiquos superat tam Stemmate claro:
Sarmatica & radijs sydera multa suis.
Cerne Crucem, medio Lunarum quæ sita fulget:
Dic; Domus hæc tangit nobilitate Polum.

HIERONYMVS GOLYNSKI.

CVIVS CRVX ET LVNÆ,
HIC ET IPSE DILECTVS DEO.

CHRISTVS Sarmaticas dum lumina flexit in arces:
SISCOVIÆ gentis viderat ille Crucem.
Virgo Parens oculos etiam dum vertit eodem:
SISCOVIÆ Lunas viderat illa domus.
Dixit CHRISTVS; Erat Crux nostro hæc digna cruore:
Hæ Lunæ pedibus, Virgo MARIA, meis.
MARTINVS roseo sacer hæc tandem edidit ore:
Pro Cruce SISCOVIVS vult meus ecce mori.
Sub pedibusq; tuis cum Lunis, Virgo, iacere:
MARTINO ergo meo, Nate, Parensq;, faue.

CHRISTOPHORVS BROCHOWSKI.

LVNÆ

LVNÆ CRVCEM, CRVX LVNAS ILLVSTRAT.

BINA Crucem claudit falcato Cynthia cornu:
Crux lumen Lunæ, dat quoque Luna Cruci.
Lilia misťa rosis multò sic gratiùs halant;
Sic vicina sibi pulchriùs astra nitent.
SISCOVII dum cura crucem pietasq; tuetur:
Auget & illius CRVX benedicťa decus.
Clariùs hinc Phœbo radiant Lunæ tibi, PRÆSVL:
Hinc & Crux vt lux fulgida tota tua est.

ALBERTVS KRASINSKI.

CRVX ALTRIX PAVPERVM.

DAT chlamydis partem miles MARTINVS egeno:
Afflixit nudum quem glacialis hyems.
Idem pauperibus toties dat munera PRÆSVL
MARTINVS. mater verè inopum fuerat.
Pauperibus SZYSZKOVVSKI struxit Episcopus ædes:
His escam, vestes, commoda multa dedit.
MARTINI erga inopes magnum quid miror amorem?
CRVX inopis Christi suadet amare inopes.

NICOLAVS NARZYMSKI.

NEC SCELERA, NEC TENEBRAS TIMET POLONIA.

MARTE potens, fœcunda viris, & Palladis arte,
Iam vincit roseum terra Polona Polum.
Vnica LVNA Polum fraternâ lampade lustrat,
Duplex Sarmatiæ LVNA serenat agros.
Et propriis facibus, simul & Crucis ignibus ardens,
Quæ posita in medio lumine vtramque beat.
Regna nihil scelus aut trepidetis Lechica noctem.
Hæ Lunæ tenebras, CRVX necat ista scelus.

PETRVS GLVCHOWSKI.

CRVX FIRMAT, ET ORNAT.

CYNTHIA, cœlorum primo quæ splendet ab axe,
In vultu maculam sueuit habere suo.
Temporis hæc variat leges, hominesq́ʒ, ferasq́ʒ:
Et causa hæc æstus dicitur esse maris.
SISCOVII Lunæ, quæ Lechiaco orbe coruscant,
Immunes maculâ pleniùs igne micant.
Fortunam variam rident constanter vbique.
Roborat, ac ornat CRVX medio alta loco.

HIERONYMVS WOSOWIC.

ILLV-

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO in CHRISTO Patri ac Domino,

D. MARTINO SZYSZKOWSKI, EPISCOpo Cracouienſi, Duci Seuerienſi diſceſſuro.

ORATIO VALEDICTORIA NOMINE GYMNASII PVLTOVIEN: cum perpetuâ proſperitate.

QVod orbis Domitor de Xenocrate Philoſopho fertur dixiſſe: Xenocrati quidem Alexan- »
dri munificentia opus non eſt; »
ſibi tamen propè neceſſarium, »
vt liberalis in Xenocratem videatur: idem »
Collegium & Gymnaſium Pultouienſe de tua ſublimitate dicit, Præſul Religioſiſsime; Antiſtiti equidem Illmo Apollinis munificentiâ Muſarum munere opus non eſt; qui virtute inſita, & pulcherrimis Reipublicæ muneribus auctus, patriæ ſuæ decus, rerum à ſe geſta-

ſe geſtarum gloriâ adeò in dies amplificat: vt ſuperſtiti adhuc CERTVM ESSE EI IN COELO DEFINITVM LOCVM, VBI BEATI ÆVO SEMPITERNO PERFRVVNTVR, pro tot ac tantis in Sereniſsimam Rempub: Polonam benemeritis, nemo eſt qui ambigat; ne dicam trophæa, pyramides, mauſolea, optimo Nemophylaci in terris poſt fata neget. Attamen vobis liberalium diſciplinarum cultoribus penitùs neceſſarium eſt, ne ingrati in Mœcenatem veſtrum liberaliſsimum videamini. Oportet profectò iuxta Principis Philoſophiæ mandatum:
„ Regratiari, vel famulari ei, qui gratiam facit. Iam verò cuius maiori gratia vel Reip: ſalus, vel eorum hominum, qui eruditioni & literis dediti, conatus: vel horum, quibus tanquam ex fatali Pandoræ cyatho malorum toxica nouercæ fortunæ inclementia propinauit, vberiùs fruitur, quàm Principis illius, qui prudentiſsimo conſilio clauum gubernat imperii: ne

rii: ne

rii: ne ſæuientis Aeoli procellis fatigata; ne ſcopulorum illiſa vadis naufraga periclitetur: aut rupto trabium fædere publicæ incolumitatis cymba in oceanum ærumnarum demergatur. Qui Fauonio beneficentiæ ſuæ expanſa vela voluntatum per altum ſapientiæ nauigandi prouehit ad portum. Qui adiutrici dextra humo affixos eleuat. Vniuerſa hæc magna in te Magne Præſul. Legiſti illud inclyti fama Hiſtorici Saluſtii, qui ſalutem Reipub: paucis concluſit: OMNIA
REGNA, ciuitates, nationes, vſque eò pro- »
ſperum euentum habuiſſe, dum apud eos ve- »
ra conſilia valuerunt. Audiuiſti Othonis inuictiſsimi auream vocem: Quid vos pulcher »
rimam vrbem hanc (de vnaquaq; dici poteſt »
Repub.) domibus ac tectis & congeſtu lapi- »
dum ſtare creditis? muta iſthæc & inanima »
intercidere ac reparari continuè poſſunt: æ- »
ternitas rerum, & mea cum veſtra ſalus inco- »
lumitate Senatus firmatur. Enimuero qualis eſt ciuitas, cuius diruta ſunt mœnia, talis eſt Reſpub: quæ non omnia cum conſilio agit.

„ Sit potens. Vis consilii expers mole ruit. Sit
» militum manu atq; ferro munita. Parua sunt
„ arma foris, nisi sit consilium domi. Consi-
» lium siquidem causarum examinādarum gu-
bernandarumque est subtilis animi prospe-
ctus: cœco igitur omnia ferantur impetu est
necesse sine hoc sole, sine hoc mentis oculo.
His de causis magnus consilio,& incōprehen-
sibilis cogitatu Deus, Moysi Duci electi atq;
dilecti populi septuaginta viros spectatę pru-
dētię,maturæ ętatis, quorū ex sentētia omnia
decerneret adiunxit. Ab Atheniensibus De-
metrius Phalereus, quorū annis decem Rem-
publicam summa prudentia administrauit,
trecenti sexaginta statuis: Berosus ab iisdem
gratis ciuibus ob prædictiones verissimas
lingua aurea honoratus. Romanus adeò di-
uersas gentes immanitate barbaras, locis in-
accessas, numero infinitas,sedendo vicit; cō-
silii nempe æquissima lance rerum momen-
ta ponderando. Lacones proinde, si quando
callido stratagematis consilio hostem supe-
rassent, Marti taurum: sin aperto gallum im-
molabant.

molabant. Rectè ſanè ac ſapienter, plus ingenii, quàm corporis robur æſtimantes. Perbellè, prout cætera omnia ſapiētiæ laude inſignes Quirites: bullam cordis ad effigiem collo prætextatorum appendebant: quo videlicet admoniti ſymbolo ſtatim à primis annis frugalia ſequi diſcerent conſilia, cæteriſque mortalibus corde præſtarent; quod ſedes animorum, cogitatuum, totiuſq; actionis parēs, humanis in membris principatur. Talibus, vel his ſimilibus Doctorum oraculis, aut exemplis ob oculos tibi poſitis, Ill[me] Heros in florido adhuc ætatis tuæ vere, ductis quaſi lineis exarſiſti ad optimi Senatoris exprimendam imaginem, earumq; rerum lectione, atq; adeo animaduerſione, colores varios paraſti, quibus effeciſti, vt & verborum clarus Orator, & rerū fortis ac ſtrenuus actor exiſteres, quod de Achille verum monimenta teſtantur; qui à Phænice præcepta accipiebat pulchra dicendi, magnaq; faciendi. Tantum hauſerunt luminis à ſole virtutis iunctæ ſolidæ eruditioni ac experientiæ, quâ

Ab i
ætate
dedit
ſit in
torem
lio gr

viuos Magiſtros audiẽdo, quâ mortuos lectitãdo; quâ exteras nationes luſtrãdo Ill^mæ LVNÆ tuæ crucis ſuffultæ præſidio; quãtũ ad dimouendas errorum vmbras, diſsipandas vitiorum nebulas, difficultatum noctes, cauſarum caligines illuſtrandas ſatis foret. Stupuerunt non ſemel comitia lynceam aut aquilinam aciem mentis tuæ, quæ non videt, ſed peruidet vniuerſa, & quicquid venatur capit. Grauiſsimis in Repub. negotiis, quoties grauiſsimæ ſentẽtiæ tuæ, S. R. Maieſtas & P. C. ſubſellia acquieuernnt! Audiuit te Auſtriaca domus nata (vt inquit D. Lipſius) ad imperia orbis terrarum, Oratorem diſertiſsimum: quando cum æterna memoria digniſsimo Myſzkowſki Gonzaga R. P. Mar. Collega nomine Regiæ Maieſt: legati munere, aut veriùs Paranymphi fungebaris: cõſortem Regni Sereniſſ: CONSTANTIAM Auſtriacam SIGISMUNDO Tertio deſponſando, & honorificè in Poloniam deducendo; Te vt non magis vere quàm liberè dixero Chromantius Epiſcopus oculo, quod mẽbris

bris omnibus pulchritudine & pretio antestat (inter alios) Episcopum vult signari; qui clara Fidei orthodoxæ & consilii lampade Ecclesiæ corpus illustras, Reipub: faciem illuminas, Palladis frontem irradias. Accedis propè ad mentē Patris patriæ, Antistes literatissime, qui Diuino afflatus Numine inquit de Diuinatione: Nullum munus Reipub: afferre maius meliusq́; possunt » Principes, quàm si docere ac erudire iuuen- » tutem curent; his præsertim moribus atque » temporibus, quibus ita prolapsa est, vt omni- » um opibus refrænanda atque coércenda sit. » Nam si Cassiodorus non in cassum scripsit: Eruditio literarum naturam laudabilē red- » dit ornatam. ibi prudens inuenit, vnde sapi- » entior fiat: ibi bellator reperit, vnde animi » virtute roboretur: inde Princeps accipit, quē- » admodum subditos sub æqualitate disponat. » Ideo vt Polona Respub: plantulas teneræ ætatulæ ad quæuis officia cum emolumento sustinēda probè efformatas haberet: Luceoriæ primùm palęstras ingeniorum aperuisti

Luceoriam Soc: IESV Patres induxit. Plociæ fundauit.

in primo tuo Epiſcopio: deinde Plociæ in ſecundó officinas ſapientis pietatis recluſiſti. Patres Societ: IESV vtrobiq; memor illorum inſtituti, velut Agonothetas præficiens: quorum etiam pro innocentia acrem orationem contra iniquã actionem ficti Equitis Poloni, Catilinaria aut Philippica mordacitate, vulnus integritati Societ: IESV maximum per ſummam calumniã infligere meditanti, tanquam ſalutiferum pharmacũ oppoſuiſti, machinationes impias extinxiſti, famam inſontium inſtauraſti, & quaſi ſignum de tua in vniuerſam Societatem obſeruantia ſuſtuliſti.

Pro defenſione eorundem orationem contra fictum equitem Polonũ ſcripſit. vnde defenſor & fautor Societ: Ieſu Patrum vocandus.

Qua quidem pro liberaliſsima animi tui voluntate per vtriuſq; mundi ditiones diffuſa hæc Sodalitas enixiſsimè in laudes ſe tuas, in preces pro tua incolumitate effũdet: dabitq; operã, ne tantũ beneficiũ aliqua obliuionis caligine per temporis ſeniũ offundatur. teq; in eorum Antiſtitum album inſeret, qui & fautores Collegiorum Societatis, & vitæ ac nominis eiuſdem acerrimi propugnatores extiterunt. Omnium oculis atq; manibus ſociorum

ciorum vbiq; terrarum commorãtium terri-
tur hæc grauiſsima oratio tua, digna præce-
ptore Mureto, digna Bentio, à quibus velut
ex limpidiſsimis facundiæ fontibus copiam
Romanæ linguę hauſiſti,quã in eos effunde-
res purgandos,à quibus te accepiſſe, quæ eſt
tua gratitudo, in eiuſdem orationis veſtibulo
ſic fateris: Cùm ab ipſa penè pueritiâ hæ fue- "
rint vitæ meæ rationes: vt iſtius ordinis ho- "
minibus,non minùs rectè viuendi præcepto- "
ribus,quàm dicẽdi magiſtris vterer,&c. Ter- "
retur quiuis impoſtor tum in hoc Regno, tũ
alibi,eos procaci calamo laceſſere, quorũ pa-
trocinium clariſsimos viros legit ſuſcipere.
Dionyſius tyrannus crudelitatis atq; ſuper-
bię mãcipium vel hinc aliquid laudis apud
poſtgenitos obtinuit, quòd Platoni diuino
planè in Siciliam venienti vittatam cymbã
miſerit obuiã,& in littus egreſſum albis qua-
drigis vrbi inuexerit exceptum. Quanta pu-
tas tibi glorię ſeges,quãta immortalitas meſ-
ſis, clementiſsime Domine, humaniſsime
Pręſul,in futuram ætatem ex ampliſsimo fa-
cinore

Sub Mureto & Bentio eloquentiſſimis magiſt. eloquentiæ ſtuduit.

cinore excreſcet? Qui Magnum illum Card: Bellarminum bella horrida in controuerſiarũ voluminibus hęreſi mouentẽ Phænicem noſtrâ tempeſtate eruditorum, plus quàm felicis ingenii, Italię lumen, purpuratorum Patrum ſolem, Eccleſię columnam, in compendio doctrinę Chriſtianę cum optima methodo inſtruendi tyrones, admonendi veteranos Chriſti athletas venientem ad Polonã gentem, nõ vittatâ ſcaphâ, ſed ſacratâ manu excepiſti; nec albis quadrigis, ſed patrii idiomatis curru triumphantem, primùm in aulã Sereniſſ: Sigiſmundi tertii, filio eius ſerenitatis Vladiſlao Principi (quo faciliùs à teneris fidei decretis obtemperare aſueſceret, pietatemq́; imbiberet) mellito cum proloquio dedicando inuexiſti, mox ingenti Eccleſiæ bono per Diœceſes, per Aſcetarum domicilia, per Nobilium domos polonizatũ dimiſiſti.

Bellarmini Card. Catechiſmum in Polonicum vertit ex Latino.

Athenienſes apud Zenonem Philoſophum claues vrbis deponebant, memores fortaſſe illius Platonici: „Tum demum bene rebus hu„manis agi, quando vel Philoſophi regnarent, vel

Doctis & bonis beneficia Eccleſiaſtica confert.

vel Reges philoſopharentur. Sapientiam bonum æmularis per quam eximiè. Cui Infulā Lacedemonienſem cum Suffraganeatu Plocenſi credidiſti? omnibus Pontificiarum virtutum conueſtito ornamentis, Reuerendiſſ: Dño, D. Staniſlao Starezewſki Abbati Płocē: optimè de Siſcouiana familia merito, quem conſortem curę paſtoralis aſſūmptū, pignus atq; monumentum ęuiternū Plocenſi cathedrę diſceſſus tui non leue ſolatium reliquiſti: cui nunc venerabile Capitulū aliquātulum vacante ſede adminiſtrationem Epiſcopatus Plocen: ſummâ omnium voluntate credidit. vt interim breuitatis ergo illa magna nomina ſileam, quorum probatæ virtuti, & prudēti experientiæ Eccleſiam, negotia tua, te ipſum vitamq́; tuam concrediditi. Ingredior aulam tuam. ſi ordinem in ea ſpectem; Salomonis Regiæ non abſimilis: ſi ſplendorem; Senatoris Regni Poloniarum apparet maieſtas: ſi deniq; prudentiam doctrinamué; Academiam eruditionis comperio: ita multis facultate ingenua claris viris fulget, Nicolai

 Myithen-

Myrihensis Præsulis alteram aulam video, ad quam aditus patebat prȩterquam bonis ac doctis nemini. Magnus Alexander magnam à se posteris vel mirandam, vel imitandam rem relicturum iudicabat, dum capto inter spolia Darii Persarum tyranni seruandis vnguentis ædificato scriniolo, gemmis, margaritis, vnionibus, instar stellati cœli inoculato Homeri, belli Troiani vatis, maius homine opus dignũ tali æstimans loculo inclusit. Sed quomodo rem magnã includi cistæ Homerum miretur is, qui eũdem exiguâ in membranulâ exaratum nucis angustiis circumseptum septem inter orbis miracula numerat. Maximam profectò rem, Magne Præsul præstas, quando vndiq; magna ingenia magnetis instar magnificentiâ tuâ attrahis ad te, illaq; magnis includis officiis, tanquam Pyropos aut Carbunculos aureis sphæris. Quin typis etiam expressa ingeniorum vestigia multò pretio capta, splendidis inuoluta mẽbranis, includis, voluens, reuoluens: vel vt inde fessus diurnis nocturnisq; angoribus, Ecclesiæ

Bibliotheca illius & studium.

clesiæ, patriæ prospiciens, odore suauissimę eruditionis reficiaris: vel gemmas exemplorum, margaritas sententiarum, vniones monitorum ad ornandam pariter & locupletādam Rempub: industriâ propriâ colligas. Ex hoc amore incredibili sapientię creuit in amœno horto virtutum tuarum amplissima erga mortales vniuersos munificentiæ & beneficentiæ arbor, ramos beneuolentiæ longè latèque diffundens: vel vt frigenti vmbra præustos æstu calamitatum recreet: vel famentes dulci fructu liberalitatis saginet: vel florum atq; foliorum acceptissimo odore opulentos etiam exhilaret. Omnes arboris huius ardent amore, omnes hac ex arbore construunt sibi Honoris & Fauoris arcem. Liberalitate namq; qui vtūtur (Tullius docet) " beneuolentiam sibi conciliāt, & quod aptis- " simum est ad quietè viuendum charitatem. " Hi iuxta Demosthenem Deo simillimi. cuius naturæ est peculiare benignè facere. Hi cum Xenophonte multò præclariùs ac laudabiliùs iudicant, beneficiorum quàm tro-

Munifici tia erga mne ger hominu

 phæo.

phæorum multitudinem posteris post se relinquere. Quapropter non plenâ manu, sed ambabus, vt aiunt, nec pleno modio, sed ipso horreo, thesauros munerum in amicos parciùs, in calamitosos & egentes effundis. Testis est per te fundata sodalitas COMPASSIONIS Cracouiæ, quam quotannis certis sustentas prouentibus: cùm in subsidium fortunæ telis expositorum: tum ad emolliendam ferream hominum feritatem in opitulando afflictis. Testis est tua maxima cura de Patribus Societatis IESV Luceoriensibus, Pultouiensibus, Plocēsibus: quorum inopiam amplis tuæ munificentiæ muneribus ditasti, ornasti, auxisti. Testis communis omnium pauperum de te vox, qui te parentem alterum, patronum orbitatis suæ fatentur: proferrem in medium singula liberalitatis argumenta; nisi me insignis modestia ingenui pudoris tui admoneret, quæ nō laudum vana choragia; sed beatitatis pręmia pro benefactis, à bonorum omnium remuneratore Deo præstolatur. Legetur de te idem aliquando Magne Præsul, quod

quod de Magno Conſtantino literis expreſ-
ſum legitur: Quemadmodum ſol ſuper terrã ”
oriens omnes claros ſui luminis radios affa- ”
tim profundit (ſic Martinus Szyſzkowſki E- ”
piſcopus Crac.) ſimul cum ſolis ortu in ædi- ”
bus apparens, & tanquam cum luminari illo ”
cœleſti pariter illuceſcẽs, omnibus qui in i- ”
pſius conſpectum prodibũt, eximiũ humani- ”
tatis ſuæ ſplendorẽ & claritatẽ exhibuit: nec ”
quiſquã rectè ad eũ aduentauit, qui nõ aliquo ”
bono potitus ſit, neq; eos ſpes bona fruſtrata ”
eſt, qui ab eo aliquid expectarent auxilii. En ”
ergo noſtræ erga T. Celſ: obſeruantię, & ſi-
mul alti doloris perenne monimentũ de tuo
à nobis abitu, litem plorantis Pultouiæ cum
triumphante Cracouia, de accepto illi, dato
huic te Præſule, ſacris luminibus tuis ſubiici-
mus. Eo petimus acceptes animo de Helico-
niis fontibus lucubrationum hauſtas aquas:
cùm ad ſitim noſtram tuæ perpetuæ nobiſcũ
præſentiæ reſtinguendũ: tum ad ſublimitati
tuæ æternam ſalutem propinandam, fauſtis
auibus è Plocenſi ad Cracouienſem cathedrã

discessuro; quo Persarum Monarcha discedens per sui Regni ditionem agrestem aquã, muneris ergo oblatam legitur acceptasse. Nã

Carmine fit viuax virtus, expersq́ sepulchri
Notitiam seræ posteritatis habet.

Cui vt Deus Opt: Max: in hoc nouo honorum fastigio bene faueat, & prosperiores quotidie augeat successus cum adamantina valetudine: ardentibus votis vniuersi, qui tuæ illustritati intimè fauemus, maiestatem eius rogamus atque obtestamur.

Salue æternum tibi Maxime Præsul,
Æternumq́ue vale. Dicit

Gymnasium Patrum Societatis IESV Pultouien: semper tui memor futurum.

NICOLAVS SVLIGOSTOVVSKI.

CERTA-

CERTAMEN
PVLTOVIÆ cum CRACOVIA.

COElicôlum postquàm clementi Numine lectus
Omine ter fausto, SZYSZKOWSKI maxime Præsul;
Sauromâtum Regis SISMVNDI dignus amore, *Nominatur Episcopus CRACOVIEN: Anno 1616.*
Dignus honore, CRACI præclarus Episcopus vrbis
Diceris; atque nouo titulo noua gaudia condis,
Lechiadûm populo, Christi sponsæ, tibi & arctis
Iunxit amicitiæ quos candida vita catenis;
Fama bonum velox subuecta à præpete pennâ
Arcis in æde tua præcelsa cacumina scandit:
Ære nouum tereti diuulgat in vrbe Dynastam.
Audiit vt Dominum PVLTOVIA iam sibi ademptum,
Artibus ingenuis pollens PVLTOVIA, auitâ
Et pietate potens, POLTÆ de nomine dicta,
Diues agri, diues pecoris, fuluique metalli;
Piscosis fœcunda vadis, & prole virorum:
Cum lachrymis valido cœlos clamore fatigat;
(NARVIA ad hunc gemitum rimosas surrigit aures,
Naiades, hac virides turbantur voce Napeæ,
Obstupuêre & EPHYTRIADES, MASOVIA tellus
Contremit) illa iterat tristes nil territa planctus:
Qualis in vmbroso plorat Philomella recessu
Syluarum; raptam sobolem violataqué tecta;
Quis mihi Luciferum tentat subducere solem?
Cymeriis semper tenebris obscura iacebo?
Nec geminæ radios diffundent cornua Lunæ. *Allusio ad stēma crucem inter lunas mediam.*
SISCOVIÆ Lunæ; illustrat quæ Lechia regna:
Quæ meliùs radiat quam lampas publica mundi;
Vnquam nec trepidat furuæ caliginis vmbram.

Nam

Nam lucet propria; haud alienâ luce coruſcat,
Quam Machometigenæ trepidat trux luna Tyranni.
Crux pietatis abit, cælorum clauis, & aulæ
Ianua ſydereæ, ſpes vnica & vna, ſalutis
Certa via? impia ni rumpar lachrymoſa dolore:
Ergo meo fulget CRACOVIA ſole ſuperba?
Scilicet illa meo deduxit margine Lunas?
Illa crucem traxit Magnetis ferreæ ad inſtar?
Illa meum rapuit Martinum? qui mihi matris
Atque loco patris fuerat. Mauortia bella
Horrida bella geram; præceps Acheronta mouebo,
Arma citi rapitote viri, furor arma miniſtret,
Nil audax vrbem metuit POLTOVIA CRACI.
Pro MARTINO dulce mori; vel mille pericla
Dulce ſubire mihi, maneat modo Præſul apud me.
Græcia pro Salaminiaco contendit Homero
Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Chius, inclytæ A-
Eſſe ſuum ciuem nimio conamine certant, (thenæ,
Cum Stygias fuerat fato delapſus ad vmbras:
Quod cœcus, ſed multa videns animo, aurea geſta
Carmine grandiſono magni ſignarat Achillis,
Non ſine mendaci vatum fucata colore;
Erroreſq; viæ dubios fallacis Vlyſſis
Falſis vera inuoluens, ſacris multa profana.
Aſt ego cor adamantis, cornea viſcera geſto,
Nullus amantis erit noſtro ſub pectore ſenſus?
Amens ſim, patiar ſi tantum tollere lumen,
Et columen Regni, ſancti gemmamque Senatus:
Care Deo Præſul, patriæ carbuncule care,
Es mihi percarus: nimio ſuccendor amore
Incendium Tota tui: flammæ pereo liquefacta per æſtus:
Putrouien: Non ſic ſub ſpecubus (ſi vera eſt fama) Sicanis
12. Auguſt: Perpetuos glomerant incendia turbida fumos:
Anno Domi Non ſic omnicremus miſeras Vulcanus in ædes
ni, 1613.

Sæuiit

Sæuiit antè meas, quo consternata gemebam,
Et Phlegetonteis lachrymabar sparsa fauillis:
Quam nostro tui inardescit sub pectore flamma.
Viuis? adhuc viuas longæui Nestoris annos.
Ter Pyliam valeas sanus superare senectam:
Viuacis numeres cerui, cornicis & æuum.
Tu pietatis Atlas, miserorum portus, asyllum. *Instauratur Pultouia post incendium.*
Per te prisca mihi facies, splendorque vetústus,
Sensim iam cœpit post ignea fata redire;
A te post cineres Phœnix renouabar vt alter:
Instaurare iubes collapsas ignibus ædes: *Xenodochium pauperibus.*
Et noua tecta mihi, terræ ex fundamine ducis,
Illis hospitium, quos tristis torquet egestas,
Morborum pestes variæ, vel curua senectus:
Ac his, pauperies quos impallescere chartis *Studiosis Bursa extructa.*
Non sinit, atque bonas animum ditare per artes:
Musęum struis Augustum; tibi Pallas honores
Pro quo debet: Apollo, nouem dant mille Camęnæ
Grates SISCOVIAM memorando carmine gentem.
Arcis tu reparas etiam penetralia nostræ, *Arx Pultou: reficitur.*
Addis & antiquis noua pulchra palatia tectis.
Impius infando miles dum fædere iunctus
Vicinos populatur agros, populatur & vrbes, *A Confœderatorum rapinis vindicatur.*
Grodecium, Visnam, Lomzam, roseamque Rosanam;
Me meus à sæuo MARTINVS Marte tuetur;
Ora opibus propriis satiat rabiosa luporum,
Atque lares prohibet nostros habitare rapaces
Harpyias, stygiæ crudelia monstra paludis.
Hoc ego tale decus perdo miseranda, nec obsto!
Serua meum perdo Dominum, malesana salutem!
Delicias populi perdo, Patrem atque Patronum!
Non ita. Sanguineo tecum, CRACOVIA, Marte
Viribus & totis, non cras certabo, sed istâ
Horâ, temporis hoc puncto; vis nescit amoris

Magna moras; animi ardeſcunt in prælia nobis.
Mars generoſe faue. MARTINI iuſta cupido,
Iuſtus amor, cogit funebria ſurgere bella,
Ocyùs & cœli flammis, & fulminis alis.
Talia dum ſecum flammato pectore fatur
Lymphatis nimium PVLTOVIA concita ab iris:
Qualiter abreptis catulis Gangetica Tygris
Ore vomit cædes, minitatur dentibus iras
Raptori fætus, celeri veſtigia paſſu
Dum ſequitur furis, furiis agitata malignis;
Sic Leo ob ablatam ſobolem, ſic æſtuat vrſa.
Purpureo video ſpumantem ſanguine POLTAM,
Et PVLTOVIADAS ardere in prælia cerno:
Arma viri rapiunt, viridis fremit arma iuuentus;
Cædigeras acuunt iras, & brachia vibrant.
Audio quadrupedum ſonitus, & tympana rauca:
Haſtas & clypeos, enſes, galeaſque comantes,
Spicula, romphæas, phaleras, vexilla, bipennes
Mulciber ignipotens properatâ conficit arte:
Fulminat igniuomo bombarda ſeuera fragore;
Clangit ab aëria bellum tuba concaua turri:
Etiam Mars ſæuus, Geticis qui præſidet aruis
(Et Bellona ferox) POLTÆ properabat ad vrbem.
Præſule pro PLOCIÆ forti certare paratus
Dextrâ cum CRACI, veritus nil mœnibus altis.
Interea hunc ſtrepitum, & voces reſonabilis Echo,
Vrbem ad CRACOVIÆ veloci pertulit ictu
Aëris, ambages & rerum, & dicta refrangens.
Extulit auratam ſubitò CRACOVIA frontem
Muro, PVLTOVIÆ ſimul agmina circumſpexit;
Cernit adeſſe duces, ſibi & hoſtica caſtra moueri.
Ridens, hanc rupit tandem de pectore vocem:
Bella mihi pugnax PVLTOVIA, bella minaris?
Quam bellè id facias, pacata proſpice mente,

Ecquæ

Ecquæ causa tibi pugnę? quid musculus audet
Prælia cum Barrho? rapida cum Tygride musca?
Si quid litis habes, non verbere suadeo, verbis
Componas; sociam nolo violare quietem:
Si quid ego nocui tibi, si sum conscia culpæ
Fare age, certemus docto sub iudice Phœbo.
Sic breuiter CRACOVIA, sic PVLTOVIA contrà:
Causam quæris adhuc belli, quasi nescia causæ?
Astutam vafro seruas sub pectore vulpem.
Præsule SISCOVIO, quo non præstantior alter,
Vt quid me spolias? de Præsule prælia tecum
Dira subire volo. tanti est hæc summa duelli.
Hoc si non iustum diiudicet almus Apollo.
Armis posthabitis igitur, belli que furore
Immerito, Iudex Pataræus Apollo rogatur
Veridicus, placidus, iurisq́ue peritus & augur.
Adfuit ille citus, doctâ comitante phalange
Musarum, niuei vectus pernicibus alis
Bellorophontis equi, redimitus tempora lauro,
Candidus purpureo velatus corpora peplo;
Insignis citharâ, pharetrâ metuendus & arcu.
Ventum est ad campum, bibulo hîc vbi puluere montes
Compositi, propiùs rutilantia sydera spectant,
Quercubus & KARWIN fugitiuas explicat vmbras,
Quas potat vitreis purissima NARVIA lymphis,
Quo studiosa cohors hebetatis viribus exit,
Lusibus vt recreet vel cursu corporis artus:
Subnixus solio Phœbus consedit eburno,
Dextrum Mars latus, anguitenens sed virgo sinistrum
Occupat: hinc ac inde Camœnæ, & cætera turba
Ordine constiterat longo; vt data copia fandi
Mox siluêre omnes intentiq́ue ora premebant:
Tum sic orsa loqui tristi PVLTOVIA voce:
Arcitenens, semper gracili cui flore iuuentæ

Vernat Apollo decens facies formoſior aſtris,
Cuius laurigeri celebrant facta inclyta vates,
Cuius nomen honos, viget æternumque vigebit,
Quæ fortuna vides miſeram me tangit & angit,
Rumpere iam volui per triſtia claſſica pacem;
Indixi arma viris etiam deſueta triumphis,
Agmina belligeri ſuccendi Martis amore:
Non aliam ob cauſam, cœli per ſydera iuro,
Per te conſpicuum bipatentis Numen Olympi;
Quàm quod dulce meum CRACOVIA protinus audet
Præſidium rapere, & patriæ ſpoliare parente.
Aufert SISCOVIVM nulli pietate ſecundum
MARTINVM. is noſtræ fuit vrbis ocellus, & orbis,
Nobilitatis honor, ſanctorum regula morum;
Defenſor fidei, variis virtutibus heros.

Virtutes digna Præſule atq; Senatore.

Quem pietas, quem cana fides, quem pectus olore
Candidius, veri quem ſeruantiſſima lingua
Diis æquant ſuperis, fama euehit altiùs axe
Stelligero, vltra & rigidos Garamantas & Indos,
Vltra anni Phœbique vias, vbi cœlifer Atlas
Fert humero patiens facibus rutilantibus orbes.

Eloquentia euiſdem & Oratio pro PP. Soc: Ieſu contra fictũ equitem ab illo edita Anno Domini, 1590.

Hic eſt, hic vir, laudari quem ſæpius audis,
Sarmatiæ Cicero, auriflui ditiſſimus amne
Eloquii, illuſtrem ſeu flectere voce Senatum:
Seu velit innocuos ſcripto defendere Patres,
Qui Sacro capiunt nomen de nomine IESV,
Contra equitis ficti furias, linguamque procacem:
Hunc ſtupuit quondam ſapiens Germanidos ora:
Hunc multùm venerata fuit domus inclyta bellis,
Inclyta & imperiis, Turcę pauor & ſtupor hoſti
Auſtriaca illa domus, ſuperis gratiſsima & imis:

Expeditio in Auſtriã cum Illuſtr: Myſſkowſki.

Nomine quando SIGISMVNDI, qui Lechica ſceptra
Nunc tenet, & pacis bellorum & laude ſecundus,
Geſtans paciferæ ramos legatus oliuæ,

Miſſus

Missus ad Archiduces (fuerat Collega, comesque
Cuius MYSZKOWSKI, Regni Marsalcus & ingens
Gloria Lechiadûm Gonzagæ Marchio stirpi
Adscriptus, Pataui vrbs quem funere mersit acerbo)
Consortem vt talami veheret, soliique Poloni:
Connubio stabili quam Rex tibi maxime Regum
Iunxisti Austriacam. hæc tecum precor exigat annos
Innumeros: sanctâ hæc faciat te prole beatum:

pro Serenissima Regina Constantia S. R. M. coniuge.

Hic est Antistes factis super æthera notus:
Ille sodalitium Iesu de nomine clarum
Volhiniæ armisonas primus deduxit in oras;
Quando Luceoriæ Antistes residebat in vrbe:
Hic idem PLOCIÆ socios fundauit IESV,
MASOVIAMque nouâ decorauit Gymnade Præsul,
Inuida Vulcani rapuit quam flamma ferocis:
Dum PLOCIÆ sæuus mæstâ bacchatur in vrbe:
Hic quid POLTOVIÆ Patribus, vel qualia fecit?
Ille domum Patrum ditauit, & ille Lycæa,
Muneribus crebris, epulis tractauit opimis
Hic omnes toties illorum propria in æde:
Brestia, & illius dextram Varsauia vidit
Loiolæ natis ad dandum semper apertam.

Luceoriam societatem induxit: Plociæ fundauit, Poltouiæ & alib: locorũ muneribus auxit. &c. Incendium Plociæ.

Omnia quid memorem SZYSKOWSKI fortia facta,
Virtutes varias, patriæ succensus amore,
Quæ tulerit? iugulum Regni ciuilia bella
Dum peterent, charę lacerando viscera matris:
Hic PLOCIÆ quanto cumulauit munere Clerum?
Atq; gregem totum, bonus & meritus bene Pastor,
Non opis est nostræ, prohibet breue cætera tempus.
Tantus hic, & talis, rapitur mihi (sors mea tristis)
CRACI plus nimio mihi & inuida, & æmula ab vrbe.
Da Pater auxilium, & rebus succurre caducis:
Ad te confugio: supplex tua Numina posco.
Dixerat, & lachrymis oculos perfusa nitentes

Tẽpore belli ciuilis eius studium in afflictã patriam.

Mille ciet gemitus, & fœmineos vlulatus.
Hæc vbi dicta dedit, C R A C I mox adfuit Echo
Nomine, legatum referens, vt dicta refellat;
Vox audita fuit, nec visus nuncius vlli.
Diue sagittipotens Iouis indubitata propago,
Aurem da facilem, Iudex æquissime nobis.
Pultouiam, fateor, magnus dolor vsque remordet.
Quod suus Antistes cathedram mutare locumq;
Decreuit, C R A C I modò dictus Episcopus vrbis.
Sed tamen hunc meritò repetit CRACOVIA, quondã,
Iure suum Patrem proprio & de Præsule gaudet.
Concilio adscriptus Patrum an non, quos Canon ornat,
Nomine percelebri fuerat, SZYSKOVIVS Heros
C R A C O V I Æ, eximius quoque Cancellarius idem
P E T R I M Y S Z K O W S K I præstantis Præsulis arte
Ingenuâ, magni pietate ac fortibus ausis:
Non dedit hunc penitus tibi, sed vix credidit illa
S I S C O V I V M. quid dura negas, si credita poscit?
Lethifero nuper conclusit lumina somno
Antistes meus, Illustris T I L I C I V S Heros,
Iam senior longo morbis tenuatus ab æuo:
Ille Polonorum flos, nobilitatis honosque:
Ille poli sydus, Superum sincera voluptas;
Quem felix habuit Pastorem Prussica tellus:
Præsule quo sapiens multum se Varmia iactat:
Curia quem Regum stupuit, Procerumque corona:
Huius fama mori vetat, æternumque vetabit
Dignum perpetuis chartis, & carmine nomen,
Hoc dolet extinctum lachrymosa Polonia lumen.
Z E R N I C K I genere illustris, prudentia, recti
Quemq; iuuat studium, Sophiæ & sublimis in arte
Affinis dolet hanc stirpis cecidisse columnam:
Illachrymata gemit quoties bona & illius vxor
Sanguis T I L I C I V S, tanto viduata Patrono:

[C]anonicus [a]nte fuit [C]racouien: & Cancella[r]ius Reuerẽ[d]issimi Pe[t]ri Myßko[w]ski.

Mors Illu[st]ris. Tylicki Episcopi Cracouien: Anno 1616.

Elogia eiusdem.

Luctus ob mortem illius sanguine iunctorum & affinium

Cum

Cum quo TILICIAE moritur domus inclyta gentis.
Hunc lugere iuuat. geminus KRETKOVIVS Heros,
Coniuge cumque sua languet mœrore TVMICKI:
Tempero vix etiam lachrymis ego talia fando.
Quis par TILICIO dabitur successor? eundem
Aequat quis paribus meritis de Rege, Polonâ
Reque magis communi, difficile inuenio vnum
Præter SISCOVIVM, quem credo sydere lapsum
Ad claros titulos, celsumque cacumen honorum:
Purpureo dignus decoret quem Roma galero:
Præsul SISCOVIVS triplici diademate dignus,
Italiæ tellus istum si habuisset alumnum.
Et dubitamus adhuc diuina Numinis aurâ
Euectum ad Craci cathedram te, Præsul amande
SZYSZKOWSKI, auspicio Regis, Regnique Poloni?
Cede Deo, Regi, Regno, POLTOVIA, cede,
Presulis est etiam hoc ipsius velle voluntas.
Quod Deus & Rex, & Respublica rite peroptat.
Illum MYSCOVIVS prædixerat antè Propheta,
Magnatem quondam magnum, Dominumq; futurum.
Scilicet in PLOCIAE cathedram succederet antè
Qui sibi. pòst Craci redimitus in vrbe tiarâ
Presuleâ æqualis PETRO fulgeret honore
MISCOVIO, cuius fuerat virtutis imago.
Ibit, non viduam tamen ille relinquere prorsus
Te vult, quam patrio affectu POLTOVIA amauit:
Successor veniet magnis virtutibus Heros
FIRLEIA de stirpe satus, spes magna Poloni
Imperii HENRICVS Præsul, noua quem infula honorũ
Fulgore irradiat, meritis pro tempore longo
Exhibitis Patriæ, Regi, Regnoque potentis
Sarmatiæ. dignus Leopardus erat cui præter
Auratum diadema caput precingeret almo
Sacra tiara sinu: variis virtutibus ille

Insignis

Success[...] lo dign[...] Marti[...] Szyszko[...]

Prophet[...] Reueren[...] Petri [...] szkowski [...] futuro [...] gno viro [...] lustris: [...] tino Szys[...] wski.

Successi[...] cathedra[...] Plocen: [...] stris: ac [...] uerendis[...] Præsuli HENRI[...] CVS FI[...] LEI de[...]

Insignis vario cumulauit munere Lechos.
Regum crediderim hunc Leopardum ex sanguine natū;
Regibus aut operam semper nauasse fidelem;
Hostibus aut victis, claros retulisse triumphos;
Rex diadema gerit, victor, vel Regis amicus:
Terribilis miles Leopardo hoc Lechus in arma;
Cui Leo sanguineus fertur, victorque triumphat,
Aurigera intorquens victricia tempora Lauro.
Iam placet & superis Leopardus nobilis iste.
Nam diadema super regale tiara coruscat.

Dambrowi-cá. Allusio ad stemma Illustr: familiæ eiusdem Leopardum coronatum.

STARCZEWski remanet STANslaus dignissim' Abbas,
Peruigil æquè ac doctus SVFFRAGANEVS: illi
Adde Nicolaum Canonis de munere clarum
PRÆPOSITVM, niueo SZYSZKOvvski pectore mystā,
SZYSZKOWSKI Andreā; pariter quē iam canon ornat,
Angelicum iuuenem, natum melioribus annis:
SISCOVII poterunt gemini tibi ferre nepotes
Auxilium; hi poterunt læsis solatia rebus
Ferre, Senatores Cleri quandoque futuri
PLOCENSIS, Patrui vestigia clara sequendo.
Ipse etiam Præsul te nunquam deserit alma
Altrix virtutum, studii PVLTOVIA mater:
Mente, animis, aderit tibi semper, amabit & absens.
His dictis curæ auulsæ, pulsusque parumper
Corde dolor tristi. nil dat PVLTOVIA contrà:
Lumina fixit humi lachrymarum roscida nimbis:
SISCOVIVM iustè tacito ore fatetur ad vrbem
CRACOVIÆ potiùs spectare, vt Præsul in illâ
Floreat æternis per plurima sæcula aristis.
Dulciloquæ tum soluit Apollo silentia linguæ;
Hæc Adamanteo perstat sententia scripta
Saxo; SISCOVII voluit sic fata poli Rex;
Fulgida vt illius CRACI caput infula cingat.
Pone tuo, ò felix PVLTOVIA, fræna dolori;

Gaude

Gaude sorte tuâ: tantum grateris honorem
SISCOVIO est honor iste tuus: non vltima laus est,
CRACOVIAM geminos habuisse in sede Dynastas
E PLOCIÆ cathedrâ: hinc vnum vidisse Poloni
Primatem Regni Baranovvski stemmate clarum.
Non hoc tempus eget lachrymis: muliebre recusat
Obsequium Præsul, ride ô PVLTOVIA ride:
Omnia quin lætis subsultent plausibus: omnes
Metris SISCOVIO lætum Pæana canamus;
Et simul obloquitur, digitis & pulsat eburnis
Auratam citharam turbâ comitante nouenâ
Pieridum; resonat mundi per deuia cantus:
Quæque suum iam tangit ebur: iam cymbala pulsat
Musa: hinc largifluis decurrunt carmina riuis;
Dulce decus patriæ, Musarum magne Patrone,
Relligionis Atlas, Regni spes, Anchora sceptri
Sauromatûm, viuæ pietatis imago, peremptor
SISCOVI scelerum, virtutis cultor honestæ,
Gentis SISCOVIÆ Illustris pietate vel armis
Lunarum rutilans sol: ô Crucis alma Satoris
Lux i felici pede ad vrbis mœnia CRACI:
I faustis auibus comitentur te bona cuncta.
Viue, vige exęquans generosum nomen Olympo
SISCOVIVM nomen, decorat quod Numen amicum
Omine multiplici, titulis quod clarat honorum,
Sic lis composita est gemini de Præsule belli
A Phœbo gracili versu, mulcente procellas
PVLTOVIÆ, & CRACI metris recreante Penates.

Ex Cathedra Plocen: vnus Archiepiscopus duo Cracouien: Episcopi fuere.

Apprecatio fausta discessuro ad sedē Cracouien: Antistiti.

GEORGIVS TARZYMIĘSKI.

 VENE-

VENERABILE
CAPITVLVM
PLOCENSE & PVLTOVIEN:
cum Clero

ANTISTITI OPTIMO

DISCESSVM MOLIENTI PROSPERVM ITER.

QVO nostrum properas corporis integri
Magnum consilio & iudicio caput?
Auulsum crucias membra doloribus:
Et desiderio membra rapis tui
Tecum; sed retinet Numen Olympicum:
PLOCENSIS cathedræ, PVLTOVIÆ vetat,
Tam longam prohibet cura gregis viam.
Te votis igitur Præsul amabilis,
Te sanctis precibus, Clerus & vtraque
Obseruans Canonis prosequitur Phalanx:
Hæc & quæ PLOCIÆ, & PVLTOVIÆ manet,
Currum SISCOVII non aquilæ vehant;
Cygnis acta sonet nec niueis rota;
Non impulsa fremat Lyncibus orbita;
Nec currat Lybicis acta Leonibus;
Nec saltet rabidis Tygribus excita;
Nec frenum sonipes mordeat aliger;
Non axem timido cerua trahat iugo:

Narrant

Narrant esse quibus Numina fabulæ
Vatum vecta priùs: vel quoties duces
Romam laurigeris fascibus aduolant,
Victoresque hilari voce canunt IO.
Felicem Dominum SISCOVIVM vehat
Phœnix perpetuo tempore viuidus,
Frænum solus adhuc indocilis pati;
Phœnix es Procerum SARMATIÆ, inclyte
Præsul; donet iter nunc meritò tibi
Fœlix æthereus: Rex patriæ diu
Seruetque incolumem: prosperet omnia
Felicem tua, te &, ducat ad exitum.

JACOBVS NARZYNSKI.

EQVITES PALATINATVS PLOCENSIS FAVTORI MAXIMO REIPVBLICAE FAVOREM.

Nobilis, Præsul memorande, gentis
Sol coruscans SISCOVIAE, Polonos
Nobiles inter radias vt inter
Sydera luna.

Hoc

Hoc notant falces geminæ bicornes
Cynthiæ insigni cruce splendicantes,
Quæ locum ditat medium tenendo
Lumine vtramque.
Tu tribus iustis EQVITES PLOCENSIS
Præsul es dignatus honoribusque,
Splendida crebrò & dape: corde amico
Semper, & ore.
Liberos horum studiis honestis
In Lycæo PVLTOPOLIS vacantes
Vt Pater vultu placido fouebas,
Vel dape lauta.
Hunc CRACI nostrum properas ad vrbem
Corculum? pro tot meritis quid æquum
Est precari nos EQVITES Polonos?
Sarmatiæ ales
Altiùs Lunas vehat orbe solis
Grata te Patrem Pario per aurum
Marmori insculpat patria; hæc Olympo
Crux tua par sit.

GASPAR DVNIN.

CIVES

CIVES PVŁTOVIENSES DOMINO SVO

FÆLIX IMPERIVM.

SÆuam Perſephonem potens,
Et Ditem rigidum flectere cantibus,
Manes, monſtra Acheruſia
Orphêus, Euridicem cum traheret ſuam,
Huius trux fidibus Leo,
Ventorum rabies, paruit & mare.
Amphion lapides ſono
Motos dulciloqui cingere Barbiti
Thebas mœnibus inclytas
Iuſsit fert per aquas blandus Ariona
Delphin ob modulos lyræ.
Lunam ſtelligero ex cardine carmina
Poſſunt ducere; ſiſtere
Solis præcipites nec noua res equos.
Lunas SISCOVIAS, crucem,
Ne PVLTOVIADAS deſerat orphanos,
Vis non vlla poteſt, dolor
Communis, lachrymæ flectere non valent.
Fati dura neceſsitas.
Transfert CRACOVIAM vel ſuperum fauor.

Iunctis fas mihi Persea
Pennis, Dedaleos cur imitarier
Ausus Colchydis aut dolos
Pernix illa. quibus fugit Iasona:
Opto Triptolemi rotas,
Pernix hinc properum quô Dominum sequar,
Qui pacem voluit, bona,
Clemens PVLTOVIUM commoda ciuium.
Ciues ergo precemini
Felix imperium SISCOUIO optimo:
Humani generis Titus
Quondam deliciæ, ac orbis amor fuit:
Nunc sit SISCOUIVS poli,
Orbis delicium, Sarmatiæque amor.

ALEXANDER LENKIEWICZ.

COLLEGIVM PVŁTOVIENSE

Patrum Societatis IESV

MÆCENATI OPTIMO

ÆVITERNAM PROSPERITATEM.

QVemcunque IESV militiam iuuat
IGNATII sub præsidio sequi,
Mundo triumphato maligno
Suaue sodalitium professum.

Cœlo

Cœlo innocentes fers quoties manus,
Aras sacerdos vel quoties tremens
Accedis, hostiam tonanti
Cum prece, cum lachryma daturus:
Antistitis non SISCOVII immemor
Votis fatiga supplicibus Deum:
IESV, vt bonos sodalitatis
Eximius benefactor annos.
Semper beatos vt videat dies
Sanus, secundus, clarus honoribus,
Dilectus & Polo & Polonis
Christiadûm venerandus orbi.
Illum coronet CRACOVIÆ Infula,
Fortuna semper sospitet; & fauor
Mortalium, cœlestiumque
Sint comites lateri perennes;
Curis paternis qui socios fouet;
Horum integro qui corde rei fauet
COLLEGIVM complexus acri
PVLTOVIASQ; Scholas amore.

SEVERINVS SIELSKI.

GYMNA-

GYMNASIVM
PVŁTOVIENSE
PROTECTORI CLEMENTmo.
LONGAM VITAM.

QVid triſtes ſubitò dolent, amœnæ
Quæ nuper fuerant nimis Camœnæ?
Toruus mœret Apollo: non ſagittas
Tendit, non digitis chelym laceſsit?
Mons Pindi inſolitis fremit querelis,
Fons miſcet dociles aquas arenis;
Omnes Pieridum gemunt alumni,
Quotquot PVLTOVIÆ ſcholas frequentant.
Tantus vnde rogo, repenſque luctus?
Vita Gymnaſii viam parare
Præſul SISCOVIVS Craci ad cathedram
Auditur? meritò dolent Camœnæ:
Illarum fuerat columna, lumen,
Decus, cor, anima, vnica, hîc voluptas.
Iuſtè Pieridum gemis iuuentus,
Quotquot PVLTOVIAS ſcholas frequentas:
Præſul, PVLTOVIÆ pias palæſtras
Complexus viridi ab fouebas æuo.
Quondam PVLTOVII ipſe flos Lycæi:
Nunc paſtor, pater, & bonus Patronus,
Vita, cor, anima, & columna, lumen;

Veſter

Vester Pastor abit, Pater, Patronus,
Tristis ploret Apollo cum Camœnis:
Humectent oculos aquis Póëtæ.
Sed quò vester abit Pater, Patronus?
Ad Craci cathedram, infulamque claram?
Ride lætus Apollo cum Camœnis,
Poëtæ numeris sonent amœnis:
Viue vita, anima, Pater, Patrone
Vrbe innumeris Craci diebus.

JOANNES BILINSKI.

VNIVERSA
DIOECESIS
PASTORI VIGILANTISSIMO
COELI BEATITATEM APPRECATVR.

BEatus æui transigas Præsul viam:
Procùl dolor, mœror procùl;
Negotiis patriæ vaces in otio:
Sit tua senectus viuida:
Sit mens amœna: sit serena frons; fluant
Horæ quietæ, albi dies.
Bonus fuisti Pastor, & vigil gregis
PLOCENSIS, à lupo ciuce,

A nocte

A nocte lunis criminum dum protegis:
Et ad beatas dirigis
Sedes. Episcopos locus vbi inter tibi
Detur beatos, supplicat
Quoties supinas fert manus cœlo tuus
Clerus tuâ prudentiâ
Factus beatior, Deoque acceptior.
STANISLAVS Poloniæ
Laus, gloria sacerdotii, lux Martyrum:
ALBERTVS inclytus; pius
MARTINVS vt nomine tibi, sic moribus
Similis, locum aptant proximum
Pro te choro coniunctus. illorum frui
Pari voluptate poteris.
Meriti socius eras: eris his præmii.
Durabitur priùs gelu:
Calida face: priùs æs aquis domabitur:
Antea volabunt áére
Pisces: auiculæ vel maris in vndis larem
Struent, deorsum se igneus
Librabit ardor: terra sursum pondere
Ferretur innato leuis:
Tui memoria quàm gregis de pectore
Labatur, ô pastor bone.

THOMAS FALECKI.

PRO-

PROPEMTICON VVLGI.

ERgo CRACI ſine me Paſtor, Pater ibis in vrbē?
Hei mihi cum Domino non licet ire meo:
Vade, ſed vſq; mei memor; immemor haud ego ve-
Sit facilis via: ſit non grauis aura tibi. (ſtri:
Non niuei flocci gelidâ voluantur ab Arcto;
Tempore ſi brumæ carpere poſcis iter.
Æole compeſcas Boream, Caurumq;, Notumque;
Ne pigro ſtupeant arua ligata gelu.
Plantas alipedum ne lædat turgida gleba:
Aurigis naſus frigore neue cadat.
Quod ſi vere viam primo mens ſuadet inire;
Aſpirent Zephyri: ventilet Auſter agros.
Nubibus haud ſudet liquefactis imbribus æther.
Influat in patulum nix reſoluta ſolum.
Spargat odorato roſeum ver gramine campos.
Spargat iter, per quod Præſulis axis eat:
Artifici volucres depromant guttura cantus;
Inclinet virides arbor opaca comas.
Saxa viâ cedant: montes curuentur in imum:
Sit via plana meo, ſit via pulchra Patri.
Tempore ſeu Brumæ veniens, ſeu tempore veris;
Æſtas non deerit te veniente CRACO.
Tympana, rauca, tubæ lætum tormenta tonabunt:
Dura triumphali frigora ab igne fluent.

VALERIANVS SKVLMOWSKI.

CRESCANT SISCOVIAE LVNAE DONEC TOTOS IMPLEANT ORBES.

FAlces Lunæ video geminas:
Crux quas medio findit latere:
Radiant multis facibus plenæ
SISCOUIAE ni fallor Lunæ
Cruce Præsuleâ & mitrâ sacræ;
Sed non pleno radiant orbe;
Cóéant simul in vnam geminæ
Faciem, sibi non tergum vertant;
Plenus erit de geminis orbis:
Crescere sic SISCOUIAE Lunæ
Nolunt; mediâ cruce lætantur;
Vetat hæc simul vt geminæ cóéant?
Si non proprios implent orbes;
Crescant titulis, crescant meritis.
Alios donec repleant orbes;
Famæ radiis, facibus laudum:
Vetus has orbis cupiat Lunas:
Has veneretur terreus orbis;
Has miretur flammeus orbis:
Aqueus vehat has laudibus orbis:
Ploret Alexander, quòd gemini
Fuerit non orbis regnator.
SISCOUIUS Præsul ridebit
Quando totos orbes Lunæ
Cruciluсæ implebunt ac vrbes,

ALBERTVS NIEBORSKI.

SOLI DEO GLORIA.